

tionem varietatis, in *discretum* & *continuum*; vel materialiter, secundum terminos suæ variationis, in *quantum per se interminatum* & *per se terminatum*.

§. 8. *Quantum discretum* est, cujus partes communi termino non sunt copulatæ, ut *Numerus Unitatum disseminatarum*. *Continuum* verò cujus partes communi termino sunt copulatæ, estque hoc quantum vel magis extrinsecum, dicique potest *quantum extensivum*; vel magis intrinsecum, dicique potest *quantum intensivum*.

§. 9. *Quantum extensivum* est, quod partes extra partes communi termino copulatas habet, easque vel simul politas ut

1. *Magnitudo*, nempe *Linea*, *superficies*, *Corpus*.

2. *Angulus*.

vel successivè, ut *Duratio*, seu *Tempus*, & *Motus*.

§. 10. *Quantum intensivum* est, quod partes velut intra partes, i. e. gradus ultra gradus, communi termino copulatos, habet, ut *gravitas*, *velocitas*, *Lux*, *sonus*, *calor*, *humiditas*, & reliquæ qualitates tantum non omnes.

§. 11. *Quantum per se interminatum* est, cujus nec maximum nec minimum datur, sed quod in suo genere sine terminis & augeri & minui potest, ut *Numerus*, *extensio*, *duratio*, *gravitas* & pleraque quanta alia.

§. 12. *Per se terminatum quantum* est, quod in suo genere minimum aut maximum admittit. Et *minimum* quidem habet in abstracto *Numerus*, quod est *Unitas*: quod imitatur in *Moralibus distantia consanguinitatis*, quæ minima est inter patrem & filium. *Maximum* autem in rebus naturalibus habet *Angulus*, quatenus totâ crurum divaricatione constat, integrâ circumferentiâ, descriptâ: Quod imitatur

ratur